



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Divus Stanislaus Kostka S.I.**

**Callenberg, Caspar**

**Neuhusii, 1716**

Iconismus 22.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69536](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69536)

Epigramma :

Dum puer in lecto *Kostkæ colludit Jesus;*

Instar huic puero *Kostka, Ioannis* \* erat.

Sed quid tu geminos credis luisse puellos?

Quem ludunt, casti lusus *amoris* erat. (*mati:*

Quisquis *amat* quæcunque potest, mala pellit a-

A *Kostka morbum dispulit* ille puer.

Quid non iste puer possit, si seria tractet!

Ludendo, morbum *dispulit*, iste puer.

\* *Ioannis primâ correptâ per licentiam Græcorum,*  
qui *vocales naturâ longas ante vocalem, non*  
*raro corripunt.*

3. Ad Stanislaum ab Angelo *Eucharisti-*  
*am*, ab diva Virgine *puerulum Iesum*  
accipientem.

*Numen edule* tibi, *Superis* dat *Ephebus* ab astris:  
*Stringendum* manibus dat tibi *Virgo* tuis.

Tradere nil *Genitrix* majus, nil possit *Ephebus* ;  
Nam *genitrix natum* tradit, *Ephebus herum.*

ICONISMUS 22.

*Stanislaus iteratò à Patre Magiore rejectus*, de re-  
*pulsa sic ingemiscit* : NIL A DEO FORTV-  
NA GRAVIS MISERABILE FECIT ! *Ovid.*  
*l. 4. de Pont. E. 4.*

Epigram. Stanislaus ad Societatem Jesu.

F 2

Ergó-

Ergone, quæ toties aliis se spontè recludunt,  
 Usquè mihi clausæ, stantq;, manentq;, fores?  
 Cur tam sæpe proco turpem das sponsa repulsam?  
 Unica tu votis sponsa petita meis.  
 Quæ tam sæpe proco turpem das Sponsa repulsam,  
 Non adamantis habes cor; Adamantis habes.

ICONISMUS 23.

*Parens Stanislai literas Viennam scribit, quibus utrumque filium domum revocat:*  
*Epigraphæ supra Epistolam: VIDEANT*  
*OCVLI MEI FILIOS. Tobie 10. 11.*

*Epigram. in persona Parentis se ipsum alloquentis.*

Ecquid in Austriacis geminos, tua gaudia, natos,  
 Ecquid in externis fers procul esse plagis?  
*Sol Stanislaus tuus est; tua Cynthia Paulus:*  
 Cur absunt patrio Cynthia, solq; polo?  
 Ut videant Solem, videant mea lumina Lunam;  
 Cum Stanislao (nec mora) Paule redi.  
 Paule redi: cum fratre redi; pariterq; redibunt,  
 Vobiscum, nostræ, spesq; salusq;, domûs.  
 Paule redi; cum fratre redi; si bina reditis  
 Sidera; jam cœlum sit mihi nostra domus.

ICO.